



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Equitius C. 7. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

7. Mart. VITÆ SANCTORVM. 127  
de Republ. Christianâ meruit, ut inter Doctores  
sanctiores Princeps habeatur. Certè præclaram  
censuram CHRISTVS è cruce tulit illis verbis: *Bene*  
*de me scripsisti Thoma; merces tua quæ erit?* Superi,  
quibus studiis veteres verbum illud BENE emen-  
ditarunt! De stipendio quid dicam? dum præter  
ipsum, de quo scripserat, petiit nullum, majus non  
potuit petere. Ad aram porrò cum fecisset, solen-  
ne habuit facienti deinde alteri pro ministerio af-  
sistere, ut qui idem amant facere in pietate disci-  
puli, illud facere se sciant, quod prior Angelicus  
Doctor fecit. Denique in unam DEI gloriam con-  
jecit oculos; atque hinc à morte stellâ pectus in-  
signis, dixit eam purâ animi intentione se meruisse.  
Itaque astra in quâ collimavit, facile obtinuit:  
nos quia oculo non cælum amplissimum, sed sco-  
pum terram pusillam statuimus, toto cælo erra-  
mus. Ex Surio.

*Nescit vincere vitia corporis, qui deponit cingulum  
virtutis. Cinti ergo castitatis baltheo, quod est insigne  
militia Christianæ, fluxam carnis detruncens igna-  
viam, & regis nostri expectatione vigiles, insomnem  
seculi somnum nesciamus.* Pet. Chrysol. serm. 22.

S. E Q U I T I U S C. 7. Martii.

**Q**UOD paucis datum est, castitatis donū EQVI-  
TIVS Angelorum beneficio consecutus est,  
qui omnem libidinis somitem auferre à dormien-  
te sunt visi. Qui nosse cupit, qui sibi Angelos tam  
demeruerit, noverit precibus id fecisse castis, quas  
si in carnis luctâ cum EQUITIO plures funderent,  
plures etiam hostem funderent. Cæterum rude  
donatus miles noster, nihilominus pro castitate  
sedulus vigilavit. Quare cum Bafilium Magum

F 4 reci-

recipere inter monachos cogeretur, palam edixit dæmonem sub monachi larvâ latere, quam illi tunc detraxit, cum virgo è velatis febri correpta unus Basilius opere inclamavit. Rectius enim EQVITIVS hanc curavit, Basilio medico extra septa monasterii ejecto. Alterum dæmonem ex alterâ virginie proscriptis. Sed ille bellè se purgavit, cum otiosum lactucæ infedisse, & gulosæ dentibus ultro petitum se & devoratum dixit, utique levi manu, quæ crucem duceret, abigendum. Porro alterum donum ab Angelo tunc tulit, cum lingua ejus hic ferro tetigit, ut jam, etsi vellet, tacere de Deo non posset. Quod tamen sui contemptum in moribus etiam & vestibus præ se ferret, obsistere dicenti ad populum Pont. per nuntium cogitabat. Sed uterque aliter monitus à cælo, coepitis destitit. Mortuus deinde EQVITIVS tamen suos à Langobardorum vi defendit. Cum enim hitrucidandos monachos à tumulo Divi abstraherent, hostibus hic alios hostes dæmones malos immisit. Ab his infessi Langobardi obsidionem scilicet cœnobii solverunt. Ex Dial.S.Greg.l.1.c.4.

*Non debet fidelis anima, qua Angelorum consortia concupiscit, dæmoniorum lusibus delectari: quicunque vel est Templum Dei, vel esse desiderat, sollicitè caveat, ne vana sectando desinens esse templum Dei fiat habitatione tenebrarum, fiat Dæmonis monumentum.* S.Mart. de Circumcis.

## S.PHILEMON M. 8.Martii.

**D**icit hodie cælo risum PHILEMON, cum terris tantum pararet nimis doctus mimus. Apollonius Christianus sacrificare Diis jussus, cum & scelus facere, & nî faceret, pœnas dare metueret,